

This table has been published in the volume : Anne Grondeux & Irène Rosier-Catach, *Priscien lu par Guillaume de Champeaux et son école : Les Notae Dunelmenses (Durham C.IV.29)*, Turnhout, Brepols, 2017, vol. I p. 367-373. It is reproduced here with the kind permission of the publisher (see pp. 365-375 for its full analysis).

[A]		<i>GPma /F 24ra, Io 75rb /</i> CASVS (V.68, p. 183.20). Tractauit superius de quattuor accidentibus nominis, scilicet de genere, de specie, de numero, de figura, modo uult tractare de quinto, id est de casu. Et de eo tractaturus est multis modis, definiendo, diuidendo causas uocabulorum et ordinem eis competentem attribuendo. Priusquam autem dicamus quomodo casus accidat nomini eius propria et impropria significatio uideatur.	<i>GPma /M 42vb/</i> CASVS. Tandem agit de ultimo accidenti nominum, id est de casu, hoc modo, definit ipsum, diuisionem eius innuit, diuidendum proprietates pertractat, uocabulorum causas reddendo, demum ordinem eius competentem attribuit, in primis determinanda propria et impropria significatio huius nominis 'casus' quantum<cum>que ex hoc tractatu colligitur.
[B]			Accipitur enim hic nomen rerum et uocum et utroque modo aequiuoce.
[C]	R1 ¹ Propriété, qui est dans les mots, d'être dérivé, qui convient aux obliques	Casus haec uox proprie significat quandam qualitatem quae est in ipsis dictionibus conferens illis ut dicantur cadere ab alio secundum regulas declinationis, quinque modis scilicet, et haec proprietas conuenit tantum obliquis.	Nam proprie nominat quandam proprietatem quae adiacet dictionibus, conferens illis cadere ab alio secundum regulam casualium declinantium. Et haec proprietas conuenit solis obliquis.
[D]	R3 Propriété d'être à l'origine de la dérivation, qui convient nominatif	Accipitur etiam haec uox 'casus' alio modo improprie quidem ² in designatione cuiusdam proprietatis, quae est in ipsis dictionibus, conferens eis ut dicantur cadere secundum regulas /F 24rb/ quinque declinationum nominis, et ista proprietas tantum conuenit nominatiuis casibus. Ideo habemus secundum regulas declinationum ut remoueantur ista uerba quae cadunt in aliis, uel cadunt ab aliis, sed non secundum regulas declinationum.	Nominat etiam eadem uox in suo esse aliam proprietatem quae est in dictionibus, conferens illis cadere in aliud secundum regulas casualium declinationum, et haec proprietas solis conuenit nominatiuis. 'Secundum regulas casualium declinationum' apposui ut remoueantur uerba quae cadunt ab aliis uel in aliud, sed non secundum casuales declinationes.
[E]	R2 + R4 Fondement de la propriété R1 et de la propriété R3	Accipitur etiam 'casus' in designatione fundamentorum illarum proprietatum, /Io 75va/et secundum hoc bene potest dici 'Socrates est casus', id est habet hanc proprietatem sibi adiacentem quod cadat in alium casum, id est terminatio eius in aliam mutetur secundum declinationem nominis.	Translatum est hoc nomen 'casus' ad nominandas uoces adiac<en>tes quae suscipiunt praedictas proprietates, unde dicitur 'homo est casus', id est habet talem proprietatem sibi adiacentem per quam cadit in alium casum, hoc est terminatio eius mutatur in aliam secundum regulas casuales.
[F]		Et 'Socratis est casus', id est habet hanc proprietatem sibi adiacentem, quod ab alio cadat secundum regulas declinationum.	Item 'hominis est casus', id est participat tali proprietate, per quam cadit ab alio secundum casuales regulas.
[G]		Et ita manifestum est quod 'casus' haec uox est equiuoca. Aliam enim proprietatem ponit in nominatiuis, aliam in obliquis.	Et ita aequiuoce dicitur de nominatiuis et obliquis.
[H]		Cum autem casus generale accidens debeat esse, quaeritur utrum aptota et monoptota debeant dici casus.	Cum uero casus generale accidens debeat esse, neutra praedictarum proprietatum uidetur hic habere, neque enim proprietas obliquorum inest omni nomini, uel fere omni, nec proprietas nominatiuorum.
[I]		Ad quod respondendum quod Priscianus non agit hic de casibus, nisi de illis qui sunt casus uoce et significatione. Quod autem dicitur 'generale accidens' non dicitur ut semper conueniat uniuersaliter, sed ex maiori parte. Verbi gratia, numerus et persona accidentia sunt uerbi, nec tamen conueniunt ³ ei uniuersaliter, quia infinitiuis non conuenit, sed quia ex maiori parte.	Sed dices proprietatem obliquorum fere omni nomini conuenire, cum multo plures sint obliqui quam nominatiui, et ea inter generalia accidentia nominum posita. Et hic definitam nominatiuorum uero proprietatem incidenter hic tractatam cum auctor post definitionem huius accidentis quasi aduersando dicat NOMINATIVVS TAMEN etc. (184.1).
[J]			Quaerendum ergo quod hic accidens diuiditur in nominatiuos et obliquos. Respondendum. Largius agit de casu in diuisione quam in definitione. Diuiditur enim haec uox 'casus' ut aequiuocum in significationes quarum altera, scilicet quae est obliquorum, definitur ut generale accidens nominum, quam etiam diuisionem sequitur illa quaestio quae est 'cuius casus?'. Sin de accidenti secundum praedictam acceptionem quaeras, nunquam respondetur 'nominatiuus', sed tantum 'genitiuus', uel alius obliquus, quod

¹. Les chiffres indiqués pour les subdivisions sont ceux indiqués dans la division des ND II ci-dessous §2.

². quidem F] quod Io

³. conueniunt scripsi] om. F, conuenit Io

		<p>incongruum uidetur. Vt autem de accidenti quaerendo congrue fiat usitata responsio, scilicet per nominatiuum et obliquos, dicamus cadere casualiter esse quandam communem proprietatem primo designatam hoc nomine 'casus'. Quae proprietas diuiditur ut in partes per cadere in aliud, et cadere ab alio, et eadem definitur secundum se totam ut generale accidens nominum, uel secundum partem eam, scilicet tanquam est obliquorum et diuiditur circa substantiam per nominatiuos et obliquos. Sed uidetur abesse quod data definitione ab aduersando supponit nominatiuum abusive dici 'casum' cum in hac sententia aequae proprie nominatiuus sit casus ut obliquus.</p> <p>Ad quod respondendum non respexisse auctorem ad illam communem proprietatem, sed ad inferiorem, quarum ea quae est in obliquis magis proprie solet dici 'casus', non ideo quod obliquus cadat, sed quia cadit ab alio. Et sic uidetur haec uox 'casus' aequiuoce significare illam superiorem proprietatem, et utramque inferiorem, uel dicas 'nominatiuum' dici 'casum' abusive, secundum quod frequentior usus est obliquos uocare 'casus' quam nominatiuum.</p> <p>Quaeritur in utraque sententia de aptotis et monoptotis (184.6; cf. VIII.47, p. 172.15 sq.) /M 43ra/ an recipiant hoc accidens.</p> <p>Ad quod respondendum cum auctor dicat casum esse declinationem qua careant praedicta, patet ea non esse casus, de aptotis quidem constat uoce ipsa hoc notante, de monoptotis non adeo.</p>
[K]	<p>Consideratur autem ipsum accidens casus secundum quosdam in uoce tantum. Voce autem tantum est cadere secundum regulam quinque declinationum. Quod si casum acceperimus large, scilicet etiam in significatione, potest considerari secundum significationem. Cadunt enim secundum significationem. Nominatiuus enim directe significat, genitiuus secundum hoc quod aliquid possidet etc.</p>	<p>Sed opponitur utraque uocari 'casus' ab auctore, ubi dicit aptota habere nominatiuum casum, monoptota quoque unum obliquum, ut litterae.</p> <p>Ad quod soluendum praemittamus hanc diuisionem, ut aequiuoce significationes casus, alius uoce et sensu, alius sola uoce, alius solo sensu.</p> <p>Voce et sensu quod cadit in aliud uel ab alio, et secundum hoc casus hic describitur ut generale accidens, uel secundum se uel <secundum> partem.</p> <p>Sola uoce quorum terminatio similis est cadenti et non cadit, ut aptota et monoptota unum obliquum habentia. Haec tamen monoptota dicit postea habere casum uoce et sensu, non quia cadant sed quia obliqua significant.</p> <p>Solo sensu ut ea quae una uoce iunguntur omni casui, ut 'nequam' et similia. Et haec duo dicuntur 'casus' non proprie, sed quia habent aliquid affinitatis cum nominatiuis casibus.</p>
[L]	<p>Quando uero dicitur 'casus accidit nomini', sic potest exponi etc. Casus accidit nomini ad consignificandum, uel sic 'Casus accidit nomini', id est proprietas a casu principaliter significata accidit nomini.</p>	<p>His praemissis uidendum est quis sensus sit cum dicitur 'casus accidit nomini'. Potest enim agi de proprietate obliquorum secundum primam lectionem de communi, secundum aliam de ipsis etiam participantibus quae accidunt, id est conueniunt, huic uoci 'nomen', ut significata suo significanti.</p> <p>De hac uoce 'casus' etiam potest agi hoc modo, 'casus' haec uox accidit huic uoci 'nomen', consignificando ei circa inferiora.</p>
[M]	<p>Cum autem dicitur 'Socrates cuius casus ?', quaeritur an sit de illa collectione nominum quae cadunt ab alio, siue de illorum quae cadunt in aliud. Sed tunc non bene proprie respondetur quando dicitur 'genitiuus' uel 'datiuus'.</p> <p>Quod si proprie responderemus, diceremus 'obliquorum' siue 'rectorum', cum dicitur 'genitiui', plus respondetur quam quaeratur.</p>	<p>Item cum quaeritur 'homo cuius casus est?' quaeritur de aliqua illarum proprietatum, quae inest nominatiuis uel obliquis uel de participantibus sub hoc sensu, an sit de collectione nominum quae cadunt ab alio, an de aliorum <collectione> quae cadunt in aliud secundum regulas casualium declinationum, cui quaestioni proprie redditur 'nominatiuus est' uel 'obliquus'.</p> <p>Si postea quaeratur, 'quis obliquus', reddit 'genitiuus' uel alius. Quae responsio si fiat ad primam interrogationem, plus respondetur quam quaesitum sit. Vt si quis respondeat 'grammaticus homo est Socrates', aliqui</p>

[N]	<p>Et sciendum quod littera ista CASVS EST DECLINATIO NOMINVM potest legi et de ipsis rebus, et de ipsis uocibus.</p> <p>De rebus sic. CASVS, id est proprietas illa quae uocatur ‘casus’, est casualis declinatio nominis secundum regulam / <i>Io 75vb</i>/ quinque declinationum, et ne alicui uideretur quod tantum declinatio nominis esset casus, addit VEL ALIARVM CASVALIVM DICTIONVM. Et hic proprie definitur illa proprietas quae est in ipsis obliquis. Hucusque durat descriptio, quod autem addit, QVAE SIT MAXIME, ostensio est quae ut maxime illa proprietas discernatur. MAXIME dicit⁴, quia sunt quaedam quae in principio declinantur, ut in ‘iens euntis’, quaedam in medio, ut ‘respublica’.</p>	<p>quaerenti quod animal sit, idem Socrates, deinceps exponamus definitionem, et prius in rebus, postea in uocibus sic.</p> <p>CASVS, id est proprietas illa quae dicitur casus, est declinatio idest uariatio nominis, non secundum genus uel numerum, uel aliam deriuationem, sed secundum regulas casuales facta. Et ne alicui uideretur quod tantum declinatio nominis esset casus, addit ‘uel aliarum etc.’. ‘Regulas casuales’ dicimus quinque modos declinationum quae sunt in nomine, duos uel tres, quae sunt in participio, quattuor quae sunt in pronomine. Hucusque (hucusque huc <i>M</i>) durat descriptio, quod uero addit, QVAE FIT etc., ostensio est ut illa proprietas discernatur MAXIME dicit, quia quaedam declinantur in principio, in ‘iens euntis’, quaedam in medio, ut ‘respublica’ et hoc secundum latinus.</p> <p>Hac descriptione potest agi tam de dictionum proprietate quae est cadere in aliud uel ab alio, secundum modos casuales, uel de sola proprietate obliquorum sit generale accidens si uero non.</p>
[O]	<p>Vel sic in uocibus potest legi DECLINATIO NOMINIS, id est nomen declinatum secundum regulas quinque declinationum est casus, id est casus et nomen declinatum consignant, sed etiam casus et aliae dictiones casuales, quae MAXIME, id est quae nomina siue aliae dictiones dinoscuntur in fine esse declinata secundum regulas quinque declinationum. In hac sententia ideo apponimus ‘secundum regulas quinque declinationum’ propter quaedam nomina, quae declinantur sed non secundum regulas quinque declinationum, ut ‘albus alba album’.</p>	<p>In uocibus sic exponitur CASVS EST DECLINATIO, id est uox declinata, per hoc remouet indeclinabilia, et quia hoc conuenit uerbo addit ‘nominis’, quasi dicat ‘nomen declinatum secundum aliquem modum casualem est casus’, et non solum nominis sed aliorum etc. Quae declinatio idest quae nomina et aliae dictiones dignoscuntur esse declinata in fine uariatae secundum aliquem modum casualis declinationis. /<i>M 40rb</i>/ MAXIME dicit quia cum declinentur et moueantur dictiones secundum uocem maxime, mouentur secundum sensum, ut nominatiuus directe, genitiuus oblique significat. Unde hoc accidens inest dictionibus non secundum uocem solam sed secundum sensum.</p>
[P]	<p>Solet etiam a quibusdam sic definiri. Casus est leuis declinatio, per hoc quod dicit ‘leuis’, remouet ‘albus alba album’, quae declinatio non est leuis sed grauis, quia eadem et de genere et declinabili terminatione, hoc totum legendum est de obliquis. Quod notat per hoc quod dicit NOMINATIVVS TAMEN quamuis dixi quod casus est declinatio, et nominatiuus non declinatur ab alio, tamen aliunde habet quod ‘casus’ dicatur esse. Quod autem sequitur ut stilum quoque similitudo est apposita nec mirum esse uideatur cum nominatiuus cadat ut rectus esse dicatur.</p>	<p>Exponitur etiam a quibusdam sic CASVS EST DECLINATIO non quaecumque, sed leuis per quod remouetur deriuatio (declinatio <i>M</i>) secundum genera, secundum numeros, ubi diuersae personae significantur, quae declinatio est grauis haec uero leuis est, ubi eadem persona tantum diuersis modis significatur.</p>

⁴. dicit *Io*] *om. F*